UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Pro pedis tegumento in Medrasch Echa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

Visual Library

rum calcei olim forte fuerunt, quales Turcarum hodie ſunt, medio crure tenus, ita ut non ſolum imos pedes, ſed etiam mediam tibiarum partem circum circa velarent, quales etiam fere fuerunt quibus ante non multos annos in fœderata Belgica noſtra ditiores uſi ſunt ex corio Hiſpanico. פטיש vero eſſe pedum tegumentum etiam argumento eſt, quod *Iohannes Buxtorfius*, cujus merita erga Hebræam linguam & ſacram literaturam nulla tacebit ætas, in magno illo opere triginta annorum vocem פשש habet, quam *ſoccum*, *pedilium*, exponit, & exemplum adducit quod ſic Baal Aruch ex Medraſch *Echa* citat: חמיתי בחלמא דלית ברגלי פשוש *vidi in ſomnio, quod non eſſet in pedibus meis ſoccus*, ubi tamen in ſuo exemplari legi פטיש addit, quod Gloſſator monet eſſe ex ſignificatione פטשיהון in hoc Danielis loco. Recte ſane פטיש legitur & ex ſignificatione פטשהון eſſe monet Gloſſator. *Soccum* quidem & *pedilium* exponit Buxtorfius, poteſt tamen ut ſit calceus. Quod ſi verum non eſt, illud tamen eſt certiſsimum non brac-

Buxt. Lex. Talm. R. פשש

Medraſch Echa cap. 1. ℣. 1.

braccas eſſe, uti פמשין volunt, ſed pedum tegumentum:

VI. כרבלה *tiaram* eſſe non multum laborandum eſt ut demonſtremus. Ita enim exponit maxima pars Rabbinorum. Iachiades: Iachiad. in
הם הבגדים המכסי הראש ככובע וזולתו Paraphr.
Hæ ſunt veſtes, quæ obtegunt caput, ad Dan.
ut galea & ſimiles. R. Saadiah: קסידין שבראשן כמין כובעים *Caſſides, quæ in capite inſtar galearum.* Elias: Elias in
מלבוש של ראש *veſtis capitis.* Conſen- Thiſb.
tit David Kimchi, Baal Aruch, & complures etiam vernaculi interpretes. Jam olim Hieronymus: *Genus pilioli, quo Perſarum, Chaldæorumque gens utitur.* Quorum veriſſimam eſſe ſententiam non tantum ex eo confirmari poteſt, quia veriſimile eſt in harum veſtium deſcriptione tiaras nominari, quas ſemper geſtarunt Chaldæi, Perſæ, Parthi, quemadmodum innumera veterum ſcriptorum loca oſtendunt, quæque ad hunc uſque diem ſatis in uſu ſunt per totum fere Orientem, uti vel omnibus in hoc noſtro Belgio conſtat, qui Amſtelodami mercatores Armenos, Perſas, Turcas ſuis tiaris

ornatos